27998/c

75843

ORATIO ANNIVERSARIA,

Quam in THEATRO

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM,

Ex HARVEII Inſtituto,

FESTO DIVI LUCÆ,

Anno 1765, habuit

THO. HEALDE, M. D. ET EJUSDEM COLLEGII SOCIUS:

Notis quibuſdam additis.

LONDINI:

Excudebat GUL. BOWYER.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

DOCTISSIMO VIRO

GULIELMO BROWNE, Equiti,

PRÆSIDI DIGNISSIMO,

ORNATISSIMISQUE SOCIIS,

Collegii Regalis Medicorum,

HANC ORATIONEM,

PRO MORE EDITAM,

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA,

D. D. D.

THO. HEALDE.

AB omnibus iis qui in hunc locum dicendi cauſa adſcendunt, quamvis ea non exſpectetur Oratio, quæ, aut rerum gravitate aut verborum elegantia, Conventûs hujus Solennitati reſpondeat; haud miremini tamen, Auditores doctiſſimi, ſi quo frequentius Medicinæ ac Medicorum laudes audire conſueviſtis, eo minori cum fiducia ſimilia dicturus prodeat. Cum vero Præſidis autoritatem aſpernari, aut voluntatem negligere non debeam; — cum nulla res tanta exiſtat, ut vim poſſit mihi majorem adhibere metûs, quam officii deſerendi dedecus; benevolentia veſtra fretus, id quod ſuſcepi quoad potero perferam. Animum eriget Collegii dignitas & exiſtimatio; — oblectabit Artis veneratio & amor. Quis enim tam humili eſt animo, qui pro illorum dignitate non audeat pugnare, propter quos ipſe

ipſe digniſſimus inter ſuos vel numeratur, vel expetit numerari? Quis tam inepto, ut nihil oblectamenti percipiat ex laudibus Artis, cui vitam, præcipuumque dicavit ſtudium?

Eſt nimirum Medicina majus quid & difficilius quam quis crederet, qui non ipſe numerum cauſarum, quibus labefactatur humana ſanitas, colligere conatus eſt: & ſi quanto difficilius ars quævis utilis acquirenda ſit aut perficienda, tanto majori in honore haberi mereatur, æſtimationem Medicinæ, ac Medicorum ſua in Arte excellentium, oportebit eſſe maximam.

Morbos etenim ſuperare, & amiſſam reſtituere ſanitatem, finis cum ſit Artis Medicæ primarius, non aliter hunc finem attingere licet, quam morbi cauſam vel expellendo, vel corrigendo, vel denique corpus cui inhæret ita muniendo, ut morbum ſuſcitare diutius non valeat. Verum in morbis quamplurimis, & qui inter ſimpliciores numerantur, perdifficile eſt haud raro indubitatam hujus cauſæ ſedem inveſtigare: res enim eſt certiſſima, cauſam morbi in uno loco latere poſſe, dum ſymptoma

maxime

maxime notabile & terrificum in parte corporis longè diſtante manifeſtum, incautos deludit, & fatui ignis inſtar, in errores ducit graviſſimos.

Ad cauſam morbi, Medicamentorum ope, corrigendam, vel mutandam, ita ut maneat in corpore ſine noxa, vel perenni fluidorum circuitu ſubigatur & admiſceatur, non ſedem ſolam, ſed naturam cauſæ, & Medicamentorum effectus in hanc & in corpus, cognoſcere debet is, qui ſine vitæ periculo morbos profligare ſuſcipit. Sed vix ullo in morbo interno, vel ſimpliciſſimo, notum eſt ſignum ſimplex ex quo manifeſta erit alterutra — ex concurſu ſanè ſymptomatum unà in corpore exiſtentium, ex horum ordine & ſerie, omnibuſque, exculti judicii ope, diligenter collatis, ſolummodo inveſtiganda. Nec mirum ſi ſit frequenter incertum cuinam inter cauſas plurimas tribuatur certus quilibet effectus, cum a tot & inter ſe adeo diverſis oriri poſſit. Qui de his dubitant, adeant ſi velint morborum hiſtoriographos, inſtar omnium, adeant Boneti ſepulchretum, immortalis Morgagni opera auctum & illuſtratum.

Felicii

Felici Medicamentorum applicationi haud leviora objiciuntur impedimenta: cauſis enim non ſatis cognitis, nemini non patet, ancipitem fore medendi rationem. Spes quippe *ſpecifica*, ut vocantur, inveniendi, quibus morbi ſanantur cauſis ignotis, quam incerta ſit & lubrica, ex hoc manifeſtum arbitror, quod poſt tot annorum millia in quibus homines morbis fuere obnoxii, vix tria ejuſmodi remedia poſſunt numerari, & hæc non ſemper ſine periculo, niſi peritis, adminiſtranda. Præterea, in dandis Medicamentis aliqua ſubjecti, ſive corporis morbo affecti, poſtulatur cognitio, antequam Medicamenti delectus, modus applicandi, & quantitas, determinari poſſint.

Siquidem talia in medendo morbis, vel ſimplicioribus, occurrant impedimenta, quanto magis ardua erit Medicamentorum applicatio, ubi phænomena a cauſis diverſis unico quamvis in ſubjecto poſitis, at variis in locis, diverſimodè inter ſe compoſita ſint & implicata! Quum talia (nam omnia recenſere non eſt hujus loci) peritiſſimis occurrant, qua ratione ſe expedient imperiti, non video: præſertim ſi alterius impedimenti

generalis quidem & graviſſimi, reminiſcantur unquam—quod ſubjecta artis medicæ ſunt *humana* & *viventia corpora*, quibuſcum nec ludere, nec periculoſa facere experimenta eſt licitum: ex quo ſolo Medicina, omnium artium quæ ratiocinio ſubjiciuntur, ſemper erit difficillima.

Sed hæc verò & omnia impedimenta *Ingenio* ſuperari & neſcio qua ſagacitate naturali adfirmant quidam, cupientes ut eos credamus tali ingenio præditos. Non autem ingenio inventa eſt Ars Medica, ſed a factis deducta omninò: & quamvis ingenium, quod caret diſciplinâ & inſtitutione, ſpecioſa nonnunquam proferre poſſit; plerumque tamen quæ profert, ad captandam vulgi admirationem quantumcunque idonea, vel eruditis ſunt notiſſima, vel ad Medicinæ profectum facientia nihil. Artem noſtram experientiâ *ſuâ* didiciſſe jactant alii, quoniam ægrotantes viderunt plurimos—etſi morbos eodem nomine ſibimetipſis, recte an ſecus, deſignatos, eâdem continuatâ Medicamentorum ſerie tractarunt ſemper, & nihil momenti detexerunt unquam

tyronibus non cognitum, vel detegere potuerunt. Quaſi vero per plurima ſæcula non producenda eſſet hominis vita, antequam dimidia pars earum veritatum quæ doctis ſunt notæ, ſolâ exercitatione & uſu inveniretur—Quaſi quodcunque hi vident, ut intelligant, neceſſe eſſet. Æquo jure, nec impari forſan temeritate, annoſus quilibet hujus urbis excubitor, quoniam cælum aſpexit ſæpiſſimè, leges didiciſſe jactaret quibus promota ſunt corpora cæleſtia. Re quidem verâ, Medico opus eſt & ingenio & frequenti ægros inviſendi opportunitate, at vereor ne aliud non ſit ars noſtra quam homicidium inſidioſum, niſi his accedit judicium culturâ omnigenâ perfectum—niſi accedit perpetua ferè obſervandi, legendi, cogitandique diligentia.

Majores noſtri harum difficultatum probe conſcii, educationem in academiâ aliquâ ad has ſuperandas, vel ſaltem diminuendas, imprimis neceſſariam habuere: ubi juvenes omni eruditione inſtituti & imbuti, aliquot annos ſtudiis impenderent, & ingeniorum acumen exercitio

multiplici

multiplici expolirent *. Hoc pacto verum a falſo facilius diſcriminantes, & ad conferendas obſervationes Medicorum omnium regionum & ſæculorum cum ſuis perſpicaciores redditi, utiliſſima quæque, adhibito juſto ratiocinio, ſecernerent & amplecterentur. Hæc enim ſola eſt & vera experientia, quam maximè ſuppeditans quæ ex vitæ brevitate deficiunt—ignavis & illiteratis omninò denegata.

Ut igitur literarum honos & amplitudo ſuſtentaretur, ſaluti publicæ, ignaros a rebus medicis prohibendo, conſuleretur, Collegium Medicorum fuit conſtitutum: cujus Socii non mi-

* Non poſſumus quin cum *Daviſio* doleamus, hæreditates collegiorum Cantabrigienſium, fere omnes, ad promovendam eccleſiaſticam educationem eſſe conſignatas: in pleriſque enim Socii tenentur, intra paucos annos poſt electionem, ordines inire ſacros. Unde non mirum eſt ſi omnia ad Medicinam utilia non ſuppeditet Cantabrigia: nec juvenes, Londini in noſodochiis cum morbis ſe aſſuefacere; & quaſdam artes Medicinæ adminiſtras, quarum profeſſores academici nullo ornantur ſtipendio, ibidem ulterius perſequi, neceſſariò eſſe coactos. Elapſis quidem annis circiter 30 noſodochii parvi fundamenta Cantabrigiæ fuere jacta: at nequiſſimi aliquot homines, & ſeipſos potiſſimùm reſpicientes, magnam pecuniæ partem in uſus ſuos, latrocinio omnium turpiſſimo, non ſolum converterunt; verum etiam annuam pecuniæ numerationem, ab Academiæ alumnis ultrò oblatam, quâ adauctum fuiſſet ædificium maturiuſque excepiſſet ægrotantes, irritam reddiderunt.

nus eruditione quam medicâ Scientiâ inclaruere ſemper.

Ex his qui famam ſcriptis conſecuti ſunt, ſummam laudem merentur.

Venerabilis *Linacrus*, omnium fermè ſui temporis Medicorum eruditiſſimus, primuſque Collegii operâ & ſtudio ſuo fundati, Præſes: qui amore literarum ductus, Græcarum præſertim, in Italiam tranſmigravit, eas ibi feliciſſimè coluit, & in patriam redux Galeni interpretatione ornavit, patriiſque Medicis commendavit.

Gul. Harveius & vivens & moriens Collegio munificentiſſimus—qui, ad tuendam Medicorum famam & celebranda merita, annuam hanc inſtituit ſolennitatem. Ipſe, omni laude ſuperior, voluit ut Socii ſui, aliorum laudibus excitati, præſtantiſſimorum veſtigia ſequerentur, & ſimilium virtutum æmuli redderentur. Quid dicam de ſanguinis circuitu, tanto ingenii acumine invento, maximâ diligentiâ demonſtrato? Quid eſt quod quiſquam aut *Harveio* dignum, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum, poſſit afferre?

Quæ fuerit eruditio *Caii*, quæ peritia medica & anatomica *Gliſſonii*, *Williſii*, *Loweri*, *Needhami*que, teſtantur ſcripta omnibus nota, fatentur phyſiologi & optimi & recentiſſimi.

Quot vitæ *Mortono* debentur, vel conjecturâ conſequi non potis eſt. Malignitatis etenim hypotheſi quantumvis allectus, corticis Peruani uſum, eo tempore pleriſque damnati, acerrimè propugnavit, & propinquam febrium continuarum cognationem cum intermittentibus ſi non primus animadverteret, manifeſtiorem certè effecit, exemplis illuſtravit, animoſque Medicorum ad eam magis attentos reddidit. Hinc alios aliquot morbos ad intermittentium genus referre ceperunt—hinc longe latèque diffuſa eſt corticis æſtimabilis utilitas, & quamplurimis vita ſaluſque alias deſperata, ejus uſu copioſiſſimo * feliciter reſtituta.

Tho. Sydenhamus, nunquam pro meritis in genus omne hominum laudandus nec imitandus ſatis, elegantiſſimâ & maximè fideli epidemicorum ſui temporis hiſtoriâ, regimini in acutis

* Pluſquam 52 lb. interne & externe in gangræna femoris cum ſucceſſu adhibuit *Ant. de Haen.* Rat. Med. part. 7.

jam

jam nimis calido modum impoſuit, & errores *Mortoni* optimè emendavit. Quicunque hujus ſcripta legerit unquam, eum fateri oportebit, a nemine niſi viro cum ſcriptoribus Romanis non minus quam naturâ verſatiſſimo, exarata fuiſſe—non obſtante illepidâ de quodam interprete fabulâ, quo auctore neſcio, ab empyricis, ut ſuam, illiteratam ſcilicet, cohoneſtent experientiam, plerumque propagata.

Ric. Meadus a doctiſſimis omnium regionum viris celebratus, literarum fautor & munificus patronus—ad quem ita facilis fuit aditus, ut is qui omnes ferè ſcientiâ & verâ dignitate excellebat, facilitate par infimis eſſe videretur. In dicendo quam elegans fuit, plurimi e vobis hoc ipſo ex loco cognoverunt: quam accuratus, dum noſocomii curam habuit, morborum obſervator, teſtantur hiſtoriæ ab ipſo enarratæ, & diligentiæ exemplar ſucceſſoribus ad imitandum præbent optimum.

Joh. Freindus Harveianæ ſolennitatis inſtaurator, ornato dicendi genere Meado non abſimilis, docto in Hippocratem commentario

&

& doctrinâ de purgandi utilitate in ſecunda variolarum febre, celebris.

Jurinus, & *Taylorus*, inſitionis variolarum clariſſimi propugnatores ambo, qui utiliſſimam hanc operationem animo forti infractoque tuentes, labis hujuſce peſtiferæ metum, maximo patriæ beneficio, penitus fere ſuſtulerunt. Obſtupeſcant Vindobonenſes Gallique! Non perit pars quadringenteſima eorum qui ex inſitis variolis ægrotant, ſed ſolummodo *quarta milleſima*—eorum nempe qui curæ chirurgi Eſſexienſis ſunt commiſſi.

Hos inter eruditos non prætereundus eſt *Letherlandus*, ſenio defunctus poſt vitam literatam civibus ſuis utiliſſimam. Huic debemus, ni fallor, *Notas* quaſdam *breves*, quibus refelleret calumniam a viro doctiſſimo, iiſque non indigno, Medicis Romanis illatam. Sed quod majoris eſt momenti, ipſe noſtratium primus faucium ulcera gangrænoſa animadvertit, * felicemque medendi rationem non caſu, ſed e libris, Hiſpanorum præcipue, diligenter perlec-

* Anno 1740, ſcilicet, ſi *Chandlero* fides ſit, Treatiſe on Cold, p. 56.

tis, & obſervationibus collatis inveſtigatam, cum Collegis ſuis communicavit.

Nec prætereundi juvenes duo docti, *Wollaſtonus* & *Hadleius*, quorum præmaturas adhuc lugemus mortes. Ille, ſcientiam & eruditionem quibus polluit, inſigni ornavit verecundiâ, & manſuetudine ſingulari cunctos ſibi devinxit animos. Quanti fuit, quanti fuiſſet, ſi diutius vitæ ejus peperciſſet fatum, epiſtola *Bakero* noſtro data manifeſto oſtendit. Hic, non minori ſcientiâ inſtructus, accepto in Academia Cantabrigienſi Profeſſoris munere, diligentiam majorem ſtudiumque chemiæ dicaverat. Utrumque, in ægrotis inviſendis & ſanandis nimium forſan aſſiduum eadem febris epidemica corripuit: utrumque neceſſitudine Collegii & ſuo ingenio carum, ſi poſſint ſervaturi advolant Socii Artis Medicæ conſultiſſimi. Artem vero ipſorum morbi heu! ſuperavit vis, magno cum dolore omnium qui utriuſque ingenium & diligentiam cognoviſſent.

Sed literarum gloriam & honores ſuſtinere Collegii noſtri fundatoribus ſufficere non videbatur, & ad alterum finem, ſalutem humani

gene-

generis propiùs reſpicientem, nempe ne ſcelere aut inſcitiâ hominum vitæ periclitentur, deſtinata eſt Collegii inſtitutio. Cenſoribus data fuit auctoritas Pharmacopolarum officinas & Medicamenta inſpiciendi & examinandi, quæcunque vel corrupta, vel non ad normam Collegio & legibus ſtabilitam compoſita invenirent, ejiciendi & comburendi,—ignaros, ſi Medicinam exercere auderent, coercendi & puniendi: —ſed in Londino & intra ſeptem milliaria in circuitu ejuſdem ſolummodo valet.

Quas ob rationes intra terminos tam anguſtos concluſa fuerit hæc ſalutifera auctoritas, neque provinciis totius Angliæ extenſa, divinare nequeo. Vitam urbanam periculoſiorem eſſe quam agreſtem, pluresque ex incolis urbis magnæ, quam parvæ, aut vici ruſtici, quotannis perire,—eodem poſito natorum numero—planè quidem innoteſcit: at numerum civium hujus urbis, ex advenis & ruricolis *, commercii vel lucri cauſa huc migrantibus, aliquatenus pen-

* On compte que Londres tire annuellement des provinces d'Angleterre 5000 ames, & cependant le nombre de ſes habitans n' augmente pas. *Beauſobre, Introd. à la Politique.*

dere, liquet non minus. Politia igitur recta æque ac humanitas doceret ruſticantium valetudinem non negligendam eſſe, ſed aliqua ſaltèm curâ conſervandam,—conſtituto in provinciis ſimili Medicamentorum examine, (quod optant boni omnes Pharmacopœi,) & eorum omnium qui rure ullam partem * exercent artis ſalu-

* In *Ruſſia* olim Præſes ſic dictæ *Cancellariæ* medicæ, Medicis, Chirurgis, & Pharmacopœis omnibus invigilavit, præmiis, ex ærario in eum eum finem dato, ornavit, vel pœnas ſumſit. Act. Nat. Cur. Vol. IX. p. 341. Nuper autem conſtitutum eſt a *Catherina* Secunda Collegium Medicum, eâdem autoritate quâ reliqua ſuprema Imperii Tribunalia pollens, cui omnis rerum Medicarum directio per totum Imperium credita eſt. Medici, Chirurgi, & Pharmacopœi omnes, tam in exercitu & claſſe, quam in provinciis & civitatibus, autoritate Collegii conſtituuntur, ab eo agendorum normam, & ſi præclari aliquid præſtiterint, præmia accipiunt. Com. de Reb. Med. Tom. XI. p. 714.

In provinciis regi *Boruſſiæ* ſubjectis, cura rerum Medicarum certis quibuſdam Medicis videtur demandata. Legimus enim Collegium Medicum *Glogovienſe* in *Sileſia*, Medico cuique, in ſingulis ſuæ ditionis circulis regiâ autoritate conſtituto, imperaſſe, ut artem docerent obſtetriciam fæminis eo munere poſthac defuncturis: & *Thebeſium*, qui curam rerum ad civium ſalutem pertinentium in circulo *Hirſchbergenſi* gerebat, obſtetrices publicâ auctoritate donandas examinâſſe, his artem docuiſſe, & difficulter parturientibus auxilium dediſſe. Vid. ejuſd. Op. Vol. VI. A propoſito non erit alienum, dum agitur de conſervandâ ruſticorum vitâ, nec fortè quibuſdam ingratum, ſi incepti haud vulgaris fiat mentio, ſcilicet, *Que l' intendant de la province d'*Auvergne *a etabli une ecole a* Clermont, *où Madame* du Coudray *enſeigne l'art des accouchemens aux femmes de la campagne, qui doivent ſe repandre dans les dif-*

taris. Forſan Collegii Medicorum fundatores, quorum duo Medici Regii curas habuere Eccleſiaſticas, metuebant, ne dominandi libidine ducti, epiſcoporum privilegia eripere, aut refrænare nimium velle, viderentur. Inter hæc fuit poteſtatem dare Medicinam vel Chirurgiam in diœceſibus ſingulis exercendi; quâ verò de causâ neſcio, magno, ni fallor, reipublicæ damno, hoc privilegium diutius ſibi vindicare jam ferè deſtiterunt *.

ferens cantons de la province, & au moyen d'une machine, conſtruite ſur le baſſin naturel d'une femme, aide les ſens groſſiers de ſes eleves à concevoir les fautes qu' elles commettoient dans leurs manœuvres. Un etabliſſement auſſi utile devroit s'etendre à toutes les provinces. Annal. Typ. 1759. Tom. I.

* Statuto Hen. VIII, anno 1511, cautum eſt, ne quiſquam ſine licentiâ Epiſcopi, quatuor Medicinæ Doctoribus adjuti, Medicinam in diœceſi ullâ exerceat, vel Chirurgiam ſine licentiâ ejuſdam quatuor Chirurgorum *antea probatorum* teſtimonio habendâ, ſub pœna ſolvendi quinque libras per menſem. Statuto Hen. VIII poſteriore, Medici ſoli Collegio permiſſi artem in diœceſibus exercent legitimam: ſed quâ lege Epiſcoporum auctoritas in Chirurgos & Pharmacopœos ablata ſit, neſcius ſum. Si ſit ablata, dolendum ſanè quod nûſquam alibi ſit collocata, cum homines quicunque, & *nullo Magiſtro edocti*, — Chemicorum, Chirurgorum, &c. famuli & Agaſones, rerum Medicarum Nominibus ſolis & Temeritate inſtructi, munera Chirurgi, Obſtetricis, & Pharmacopœi, maximo politiæ Anglicanæ opprobrio, impunè ſibi ſuſcipiant—impunè Medicamenta adulterina, vel a propoſito & præſcripto Medici aliena, ruſticis ægrotantibus mittant.

Si rus igitur, veſtigio vix minimo diſciplinæ Medicæ ibidem relicto, agyrtis prædæ ſit, non adeo mirum eſt, quandoquidem hæc ipſa urbs, ſi quæ alia in toto terrarum orbe, maximè empiricis & Medicaſtris luxuriat. De hâc re neque ſatis me commodè dicere, neque ſatis graviter conqueri poſſe intelligo—aptiorem forſan occaſionem nunquam præbebit attentio veſtra, & quæ ſentio, quæ ſentiunt alii ac plurimi, audacter libereque dicere certum eſt, deliberatumque. Cum ordo & diſciplina omnis deriſa ſit & in contemtu habita:—cum eo effrænatæ ventum eſt impudentiæ, ut audeat aliquis, intra Collegii ferè parietes, illiteratos homines prælectionibus advocare ſuis, & elapſo ſex menſium ſpatio, ſummos in Medicinâ honores ſe illis impetratrum, publico polliceri monito; quis tam diſſoluto eſt animo, qui hæc cum videat, tacere ac negligere poſſit? Aciem auctoritatis veſtræ etiam nunc hebeſcere, quis probus non demiratur & dedignatur? Si aliqua facinora, injuriam civibus minantia, prohibere non ſit datum, nonne ut peſſima & frequentiſſima pro-

hibeatis

hibeatis omni enitendum operâ? Videte, ne, ut fundatoribus Collegii, annuo hoc feſto celebratis, pulcherrimum fuit, auctoritatem haud exiguam vobis relinquere; ſic vobis ſit turpiſſimum, hanc, quam accepiſtis, non adhibere & conſervare. Vos etenim inertiæ nequitiæque jam pridem condemnârunt obtrectatores, tanquam lucro proſpicientes privato, probis & doctis eſtis inimicitiores quam improbis & imperitis. Hæc opprobria diutius ſi patiamini, arti nocebit quam maximè patientia veſtra, & civibus innocuis erit crudeliſſima: e contra ſi ignaros & ſceleſtos a maleficio cohibeatis, illæſa non modo manebit cauſa humanitatis, verum etiam ornabitur.

Veſtræ quidem auctoritati repugnant *literæ*, ut vocantur, *patentes*, unde homines aſtuti omnis generis medicamenta, ſub *arcanorum* nomine, tutò vendunt, & quamplurimos fallacibus innixos promiſſis, non levi afficiunt injuriâ. Ex his Medicamentis pauca ſunt utilia ſi cum judicio data: pauciſſima quidem vel a venditoribus inventa vel perfecta: pleraque verò e Pharmacopœis veteribus deſumpta et mutata.

mutata paululum—præconiis quibus celebrantur prorſus indigna. Quæ formido tanta ſit, quæ tot ac tales viros impediat, quo minus præſidia contra hos abuſus quærere velint, me fugit omninò. Nihil certè bonis omnibus optatius habetur, quam ut primi e vobis proficiſcantur ad Regem, doceantque eum qui homines ſint qui Majeſtati illudunt ſuæ, & auctoritate abutuntur,—conquerantur de iſtorum ſcelere & injuriis,—orent ut Collegii ſui utilitatem & ſubditorum ſalutem conſervatam velit: quid enim eſt autoritate regiâ abuti, niſi Medicamenta infirma, vel pernicioſa, venditare, populumque falsâ ſalutis ſpe lactare.

Nemo eſt qui neſcit multa imprudente Rege præteriri, vel miratur illum aliqua animadvertere non poſſe, cum tot tantiſque ſit diſtentus negotiis: qualis autem ſit ejus animi benevolentia, qualis paterna ſubditorum cura, *Wardi* Medicamenta, ſumptu regio parata, teſtimonio oſtendunt luculento. Vix igitur dubitandum, quin Rex adeò benignus, munificentiâ ſuâ Britannicâ & ſubditorum periculo impulſus, libenter vobis aſſentiretur, & ſtatueret—vel

ut

ut *literæ patentes* ſine examine accurato in noſodochiis prius habito, & veſtris ſuffragiis * comprobato, poſthac non ſint conceſſæ—vel ut literis hujuſmodi omninò negatis, vobis forſan deſtinatum ſit vectigal quoddam, ſeu pecuniæ reditus †, ex quo præmia pro inventis Medicis proponere, & benè de Medicinâ & Republicâ merentes honore ac mercede remunerare poſſitis.

Quanti ſit Regum favor & tutamen, ut de illorum meritis in re naturali, botanicâ, & chemicâ, nuperrimis taceam, teſtantur conſtituta plurima *Vindobonenſia*, ‡ ad morborum inveſtigationem quam maximè facientia, auctoritatem imperatoriam conciliante nobiliſſimo *Swietenio* :—teſtantur *Holmienſia* ||, horumque omnium præſtantiſſimum Collegium Salutis §:

* Excerptum ex edicto Gallico ad hoc quod agimus, ni fallor, accommodatiſſimo, ad calcem hujus opuſculi adjectum videas.

† Collegio *Holmienſi* vectigal datur, ex aquis mineralibus in Sueciam invectis, ſi recte memini, proveniens.

‡ De quibus, vid. *Haenii* Rat. Med. pluribus in locis.

|| Ab eximio Præſide *Baeckio* propoſita, ſummâ diligentiâ ſtudioque nobliſſimi *Roſenii* ſuſtentata.

§ *Collegii Salutis Holmienſis* ſocii, tempore contagii, ejus progreſſum omni ratione cohibere tentant, propoſita ad Medicinam pertinentia ex-

cujus

cujus ſocii, laude & imitatione noſtrâ digniſſimi, ſe humanitate & officio obſtrictos eſſe credunt, Regem ut commoneant de iis omnibus, quæ ad artis Medicæ profectum civiumque ſalutem conferre poſſint. Hæc & plura hujuſmodi beneficia, ex auctoritate & gratiâ Regis, veſtrâ diligentiâ impetratis, proventura eſſe, nullo negotio oſtendere poſſem; at vereor ne diutius de tam perſpicuis rebus differendo, aut vobis ſim moleſtus, aut ne ingeniis veſtris diffidere videar.

Cum igitur anteceſſorum curâ privilegiis quidem multis, ac magnis, ornati eſtis—ad dignitatem & amplitudinem ſatis,—ad ſalutem verò, vel hujuſce urbis, ac multo magis provinciarum, deſiderantur plura & majora:—hæc

pendunt, utiliſſimis ſuam omnem dant auctoritatem, &, ſi opus ſit, regiam impetrant. Horum hortatu, & ſumptu regio, *Schulzius*, anno 1754, in Angliam miſſus eſt ad diſcendam variolarum inſitionem; quam in patriam redux maximâ cum felicitate undique propagavit. Horum hortatu, *Bierchenus* poſtea huc miſſus eſt ad exquirendum cancri remedium, & ſi tale invenerit fide dignum, pretio 3000 lib. ſibi comparare juſſus. Vid. Eſtratto della Letter. Eur. 1761. His debetur pecunia collecta ad conſtruendum noſocomium variolarum inſitioni deſtinatum.—His etiam debetur quod profeſſores plurimi conſtituantur, Medici ad provincias miſſi, & aliqui curam pauperum habentes ſtipendiis ſint ornati. Vogel Mediciniſche Bibliothek, 5 Band, p. 95, 6. p. 273. Huic Collegio vectigal datum eſſe ſupra memoratum eſt.

vobis

vobis reliqua pars eſt—in hoc elaborandum —hoc arti, vobiſmetipſis humanoque generi debetis. Mihi quidem haud immeritò augurari videor, cum tot viri doctrinâ clariſſimi, principum gratiâ florentiſſimi, Medicinæ ſint ornamento, reipublicæ emolumento; fore inter Præſidis laudes, ex hoc loco, aliquando numeratum, quod ipſo duce & auctore, annuentibus & juvantibus Sociis, Collegium Medicorum antiquo decori non ſolum fuerit reſtitutum, ſed novis privilegiis totius Angliæ ſaluti conſecratis ornatum & amplificatum.

Extrait d'un Arrêt du Roi de la France, Sept. 10, 1754.

LE Roy s'etant fait repreſenter les Arrêts rendus 1728, &c. pour eviter les inconveniens des remedes appellés Specifiques, & s'etant fait rendre un compte des repreſentations faites par le Sieur de *Senac* ordonne ce qui ſuit.

S. M. commet les Sieurs de *Senac*, la *Vigne*, le Doyen de la faculté de Medicine, *Pouſſé*, *Maloüin*, *Lorry*, *Ferret* & *Macquer*, Medecins de la faculté; la *Martiniere*, *Foubert*, *Faget*, *Andoüillé*, Chirurgiens* le premier Garde Apoticaire, *Boulduc*, & *Liege* Apoticaires; d'examiner les Brevets, &c. pour, ſur les avis qu'ils en donneront, les dits remedes être aprouvés ou rejettés, &c.

Il ne ſera expedié aucuns Brevets, qu'en conſequence d'une deliberation ſignée de tous ceux qui compoſent la dite commiſſion & inſcrite ſur un Regiſtre, & feront les dits remedes communiqués avant l'examen de la dite commiſſion. Les maladies & les circonſtances aux quelles ils ſont applicables feront ſpecifiès dans les Brevets, dans leſquels il ſera marqué expreſſement, que ceux qui les auront obtenus, ne pourront preſcrire les remedes que ſous la direction ou par la permiſſion d'un Medecin.—Les Brevets ne pourront etre accordés que pour l'eſpace de 3 années: paſsé lequel tems, feront tenus ceux en faveur de qui ils

* Les Chirurgiens ne ſont appellés à l'Examen que lorſqu'il s'agit des *topiques* ou autres choſes qui concernent l'Art de Chirurgie.

auront

auront été expediés, de les rapporter pour en obtenir le renouvellement, lequel ne pourra étre accordé non plus que pour 3 années, ni etre delivré que ſur les certificats, donnés par les Medecins & Chirurgiens des lieux où les dits remedes auront été employés, du bon effet qu'ils auront produit: ——à peine de nullité des Brevets & 1000 livr. d'amende applicable aux Hopitaux deſdits lieux contre ceux qui auront continué à diſtribuer leurs remedes apres le tems porté dans leurs Brevets.

Veut *S. M.* que les Brevets ou Extraits d'iceux ne puiſſent étre inſcrits dans les Mercures, Journeaux, &c. ni etre affichés ni publiès autrement dans les rues, & que ceux qui les auront obtenus ne puiſſent faire imprimer aucun ouvrage ni relation de gueriſon operée par leurs remedes qu'apres qu'ils en auront obtenu du premier Medecin ſur l'avis de la commiſſion une permiſſion ſur des atteſtations ſuffiſantes deſdits gueriſons, à peine de 500 livr. d'amende, &c.

Les particuliers qui ont obtenu les Brevets ſeront tenus dans les lieux où ils diſtribueront leurs remedes, de communiquer un double de chaque Brevet aux Doyens des facultés, &c. de Medecine deſdits lieux, ou s'il n'y en a pas, à ceux des lieux les plus voiſins, leſquels Doyens auront ſoin d'informer exactement le premier Medecin du ſuccés ou des inconveniens obſervés dans l'uſage deſdits remedes & des abus qui ſe commettront dans l'adminiſtration d'iceux. Seront obligés les porteurs deſdits Brevets, quand ils ſortiront d'un lieu, où ils auront diſtribué leurs remedes, de ſe munir d'un Certificat par lequel

il aparoiſſe que les Brevets ont été communiqués aux Medecins deſdits lieux, &c.

Fait defenſes *S. M.* à tous gouverneurs & Magiſtrats de permettre à des gens de diſtribuer aucuns remédes s'ils n'ont éte aprouvés de la commiſſion, ni à ceux qui ont obtenu les Brevets qu'apres que les dits Brevets auront été preſentés aux Doyens des facultés de Medecine, ou au defaut des facultés à plus ancien medecin des lieux, auſquels les dits particuliers feront tenus de s'adreſſer auparavant pour cela.

Fait auſſi *S. M.* defenſes à ceux qui ont obtenu les dits Brevets de prendre aucun deguiſement— de viſiter aucuns malades, ni en recevoir chez eux pour des conſultations, de ſe charger du traitement d'aucunes maladies, & d'entreprendre aucune operation chirurgique, à peine d'etre dechû de leurs privileges, & 1000 livr. d'amende, &c.

Fait defenſes *S. M.* à tous colporteurs, de vendre dans les provinces aucunes drogues — aucunes compoſitions officinales, qu'apres avoir abtenu une permiſſion du premier Medecin ſur l'avis de commiſſion — ni faire le vente des dites compoſitions officinales qu'apres que la viſite en aura été faite & qu'elles ſeront jugées de bonne qualité, par le Doyen de la faculté, au le plus ancien Medecin & le plus ancien Apoticaire, des quels ils prendront Certificats, à peine d'étre dechûs des permiſſions & 1000 livr. d'amende, &c. enjoint très expreſſement *S. M.* à tous les corps de Medecine du Royaume, &c. de denoncer á ladite commiſſion tous diſtributeurs des remedes, &c. ſans avoir aucun Titre, Brevet, &c.

FINIS.